$\frac{ad}{fs} = \frac{bc}{gm}$. Atque eadem valet demonſtratio pro alio quolibet proportionum numero : ratio ex duabus æqualibus compoſita dicitur *duplicata*, ex tribus *triplicata* &c. Hinc ratio geometrica quam habet quadratum unius quantitatis ad quadratum alterius eſt duplicata ejus, quam habent ipſæ quantitates ad invicem, ratio cuborum triplicata &c. Et contra ratio quam habent inter ſe radices quadratæ, cubicæ &c. dicitur *ſubduplicata*, *ſubtriplicata* &c. rationis potentiarum *reſpectivarum*. At ratio quæ intercedit inter radices quadratas cuborum, hoc eſt,

ratio $a^{\frac{3}{2}}$ & $b^{\frac{3}{2}}$ dicitur *ſeſquiplicata*.

Si duæ quantitates ita inter ſe connexæ ſint ut ſi una dupla, tripla &c., altera etiam dupla, tripla &c. evadat, prima dicitur eſſe in *ratione directa ſimplici* alterius. At ſi prima in eadem ratione decreſcit in qua altera augetur, tunc illa eſſe dicitur in *ratione inverſa*, ſive *reciproca* iſtius. Verum ſi duæ quantitates ita ſint invicem connexæ, ut altera creſcat in eadem ratione qua primæ quadratum aut cubus &c. tunc illa ad hanc eſſe dicitur in ratione duplicata, triplicata &c. At ſi in eadem ratione una decreſcit qua creſcunt alterius quadrata vel cubi, dicetur eſſe in ratione hujus *reciprocæ* duplicata aut triplicata &c.

VI. Ex mediorum & extremorum producto pendet etiam univerſa progreſſionum geo-